

DISSE^TAT^O ACADEMICA
DE
POËTICA FACULTATE
COLUMELLÆ;

QUAM,

VENIA AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

PRÆSIDE

JOH. FREDR. WALLENIO,

*Eloqu. Professore Publ. & Ord. Imper. Ord. de S. Wolodimiro
in quarta classe Equite, Societt. Oeconn. Imp. Fenn. atque
Reg. Wermel. nec non Societ. Patriot. Holm. Membro, &
Societ. Latin. Jenens. Socio Honorario,*

PRO GRADU PHILOSOPHICO

P. P.

AXELIUS GABRIEL SJÖSTRÖM,

Stip. Publ. Tavastensis,

In Auditorio Medico die VII Jun. MDCCCXV,

b. a. m. confvetis.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

DISSEMINATIO ACADEMICO

LOGICA ETAGNOSTATE

COTUMETIA

DISSEMINATIO ACADEMICO
LOGICA ETAGNOSTATE

COTUMETIA

DISSEMINATIO ACADEMICO
LOGICA ETAGNOSTATE

COTUMETIA

DISSEMINATIO ACADEMICO
LOGICA ETAGNOSTATE

DISSEMINATIO ACADEMICO
LOGICA ETAGNOSTATE



Mea mea Calliope
— — — — —
— — — parvoque jubet decurrere gyro,
Et secum gracili connectere carmina filo,
Quæ canat inter opus, musa modulante, putator
Pendulus arbustis, olitor viridantibus hortis.
[COLUMELLA.]

Notabilis apud Romanos Rei Rusticæ Scriptor L. JUNIUS (a)
MODERATUS COLUMELLA cum inter suorum temporum
viros nominet (b) CORNELIUM CELSUM & SENECA M., floruisse
circa saeculi a Christo nato primi medium judicatur, & CLAU-
DIO Imperatore regnante scripsisse. Oriundus erat Gadibus (c), patruumque — nam de patre nusquam injicitur men-
tio

A

a) JULIUM, per errorem aut scriptiorum aut typographi, appellat J. A. ERNESTI in Bibliotheca Latina Fabriciana T. II. p. 71. Sic & C. F. v. BLANKENBURG in J. G. SULZERS Allgemeine Theorie der Schönen Künste 3:r Theil p. 183.

b) L. I. c. 1. f. 14. L. III. c. 3. f. 3. Loquitur & de TIBERIO, sed ut jam mortuo L. XI. c. 3. f. 52.

c) L. VIII. c. 16. f. 9. L. X. v. 185.

tio — habuit M. COLUMELLAM, acris ingenii virum, simulque & illustribus disciplinis eruditum & diligentissimum Bæticæ provinciæ agricolam (*d*), a quo igitur videtur mature fuisse ejusdem rei & magno inflammatus studio & artes bene edo-
stus. Possebat & in Hispania Pyrenæis vicina (*e*) prædium Ceretanum, &, postquam migrasset Romam, etiam in Arde-
tino, Carseolano & Albano agro (*f*); itinereque in Ciliciam & Syriam facto (*g*), multisque Italîæ partibus peragratis, plura in dies de harum regionum climate & solo hujusque cultura partim rescivit, partim ipse expertus est. Nec minus is idoneis auctoribus, CATONE, VARRONE, VIRGILIO, CELSO, JULIO GRÆCINO, SASERNA, CN. TREMELLO SCROFA, JULIO ATTICO, HYGINO, LICINIIS STOLONE & MÆNATE, DIONYSIIS, C. MATIO, M. AMBIVIO, DEMOCRITO, XENOPHONTE, EPICHARMO *Syracusano*, DIOPHANE, MNASEA, PAXAMO, BOLO *Mendesio*, HAMILCARE, MAGONE, aliisque, legendis profecit: quos &, cum merita laude fraudatum vellet neminem (*h*), saepe, & forte, quam fuisset opus, saepius, testes citavit. His omnibus subsidiis instructus, nec a Geometrarum scien-

d) L. II. c. 16 (apud SCHNEIDERUM 15) f. 4. L. V. c. 5. f. 15. L. VII. c. 2. f. 4.

e) Non esse ad loca COLUMELLÆ L. III. c. 3. f. 3. c. 9. f. 6. de Cæ-
retibus Etruriæ, sed de Ceretanis s. Cerretanis Hispaniæ citerioris (PLIN. H. N. L. III. c. 4.) cogitandum, primus, quantum scimus, demonstravit PHIL. BEROALDUS, idemque ad priorem horum agnovit Jo. GOTTL. SCHNEIDER (Scriptorum R. R. T. II. P. II. p. 143), unde magis etiam miremur, Præfationis pag. 3. Ceretanum illud in Sardinia poni.

f) L. III. c. 9. f. 2, 4.

g) L. II. c. 10. f. 18.

h) L. III. c. 10. f. 20.

Scientia, quam tamen sibi non vindicat (*i*), imparatus, sed propriæ experientiæ, & in universum præsentis domini oculo plurima tribuens (*k*), opus componere aggrediebatur, quod totius rei rusticæ complectetur præcepta maxime necessaria (*l*), & sic ea exsequebatur plenius, quæ ante jam duobus (*m*) libris, quorum alter de Agrorum cultu periit, alter, ad EPRIUM MARCELLUM scriptus (*n*), de Arboribus, superstes est, tractarat. Scriperat & libros, incerto numero, aduersus Astrologos (*o*), opusque meditabatur unius libri de lustrationum ceterorumque sacrificiorum, quæ pro frugibus siebant, more prisca usurpato (*p*), quod tamen consilium an perfecerit necne, ignoratur. In singulis vero ingenii sui diligentiaque operibus latinitate stiloque usus est tam cultis, tam terfis, ut inter omnes rusticæ rei magistros facundissimus haberetur (*q*),

A. 2. tan-

i) L. V. c. I. f. 4.

k) L. I. c. 2. f. 1. sq. L. II. c. 10. f. II. sqq. L. III. c. 2. f. 8. c. 3. f. 3. 13 sq. c. 9. f. 6. c. 10. f. 18. c. 20. f. 6. c. 21. f. 4. L. IV. c. 2. f. 5. c. 18. f. I. L. V. c. 4. f. I. L. XII. c. 20. f. 7. c. 39. f. 1. &c.

l) L. I. Præf. f. 33. L. V. c. I. f. I. L. VI. Præf. f. 6. L. XII. c. 57. (59) f. 6.

m) Sedecim in universum COLUMELLÆ libros loquitur CASSIODORUS in Institutionibus ad divinas lectiones cap. 28, sed numerum corruptum esse suspicatur ERNESTI I. c. p. 72.

n) Evictum hoc dedit SCHNEIDER I. c. p. 672 sq.

o) L. XI. c. I. f. 31.

p) L. II. c. 22 (21) f. 5. sq.

q) COLUMELLÆ abundavit dicendi facultas; VEGET. Art. Veter. Præfat.

tantumque prodidit & honestatis morumque bonorum amorem,
& socordis luxuriosæque sui temporis hominum vitæ aversationem, ut, quamvis ferus videri nolle tot jam saeculorum ca-
stigator, temperare tamen nequiret sibi, quominus de pes-
sumdata antiquorum disciplina subinde jaceret querelas (r).

Sunt autem majoris illius a MODERATO nostro profecti
operis Libri numero duodecim, & PUBLIO SILVINO, alius cu-
jusdam Cretani fundi possestori (s), inscripti sensimque mis-
si. Sunt quoque, ut ipsi rei naturæ propositoque Auctoris
convenientissimum erat, prosa oratione fere omnes exarati,
&, quod desideraverat CLAUDIUS AUGUSTALIS (t), id in horto-
rum etiam cultu exponendo ita effectum, ut ne de illo quidem
desiderarentur soluto sermone composita præcepta (u); at GAL-
LIONI tamen cuidam & maxime SILVINO, pertinaciter expetenti-

ver-

f. 3. Elōquens ac facundus illabitur disertis potius quam impe-
riis accommodus; CASSIODOR, l. c. Respicere videntur ultima hæc
verba ad id, quod a PALLADIO (L. I. c. 1. f. 1.) dictum est (Pars
est prima prudentie, ipsam, cui præcepturus sis, æstimare perso-
nam; neque enim formator agricultæ debet artibus & eloquentia
rhetores æmulari, quod a plerisque factum est, qui dum diserte
loquuntur rusticis, assecuti sunt, ut eorum doctrina nec a disertis-
mis possit intelligi: sed nos recidamus præfationis moram, ne,
quos reprehendimus, imitemur), quoque pungi COLUMELLA exi-
flimatur.

v) L. I. Præf. f. 5. sq. 15. sqq. L. VIII. c. 8. f. 10, c. 16. f. 6.
L. X. Præf. f. 2. L. XII. Præf. f. 9. sq.

s) L. III. c. 3. f. 3, c. 9. f. 6.

t) L. XI. c. 1. f. 1.

u) L. V. c. 8—12, L. XI. c. 3; De Arboribus c. 17—30;

versificationis Columellianæ gustum (v), in tantum indulsum, ut idem argumentum versu retractandum sibi sumeret egregia in amicos facilitate notabilis scriptor. Neque vero imparatum eum ad hoc negotium accessisse, & ipse ejus filius docet non solum ad orationem ubertatem, sed ad vividiores quoque poëeos picturas exprimendas nonnunquam pronior (x), & rara in homine ruricola elegantioris tam litteraturæ quam artis notitia (y). Nec mediocres rei exsequendæ admovisæ facies censeatur VIRGILIUS, qui quippe, Georgicorum IV:to, laborum fini jam proximus, terdenis tantum versibus cecinerat, quæ pingues hortos ornaret colendi cura, &, quia spatiis exclusus erat inquis, præterierat reliqua aliisque post se memoranda reliquerat: *cujus igitur ex voluntate, & quasi numine instigante, pigre sine dubio propter difficultatem operis, verumtamen non sine spe prosperi successus aggressum se proficitur COLUMELLA noster tenuem admodum & pene viduatam corpore materiam, quæ tam exilis sit, ut in consummatione quidem totius operis annumerari veluti particula posset laboris, per se vero & quasi suis finibus terminata nullo modo consipi* (z). De ipso autem COLUMELLÆ poëmate valde variant iudicia: censente ex. gr. GEORGIO ALEXANDRINO hortorum do-

v) L. IX. c. 16, f. 2. L. XI. c. 1, f. 2. L. X. Præf. f. 3.

x) Exemplorum loco affert GESNERUS in Præfatione ad Scriptores Rei Rusticæ veteres Latinos, Editionis Ernestianæ p. VIII (quam confer), L. III. c. 10, f. 9. sqq. c. 21. f. 3. L. VII. c. 12, f. 1. L. VIII. c. 8, f. 10.

y) L. I. Præf. f. 30. sq. Eandem nostri cum politioribus studiis familiaritatem pluribus in locis facit ipse Liber Decimus.

z) VIRGIL. Georg. L. IV. v. 116 sqq. & 147 sq. COLUMELL. L. X. Præf. f. 3, sq.

tes eo esse tam scite tamque copiose absolutas, ut cum Poëta Mantuanus illorum rationem aliis relinquaret commemorandam, de COLUMELLA divinasse videatur, GESNERO ac NOLLENIO venustum illud & elegans aut faltem non infelix prædicantibus, & omnium cumulatisime laudante THEODORO BEZA (a), at contra culpante jam ANGELO DECEMBRIO, & hodiernos inter intellectu fere difficilius quam NICANDRI verus pronuntiante CURT. SPRENGEL (b), sed acrius etiam reprehendente JOH HENR. VOSS: persvadente nempe sibi, VIRGILIIUM, non propter carminis ad exitum festinantis angustias, sed quia exsangvis & varietatis parum habens ipsi videretur ejusmodi argumentum, hortorum disciplinam prætermisisse, falsoque credidisse & COLUMELLAM & GARGILIUM MARTIALEM id esse aut sibi aut alii cuiquam dictum, ut Penelopiam istam consulto abruptam telam pertexerent; nec felicius cesisse rem aut REN. RAPINO (c) aut JAC. VANIERIO (d) aut WILH. MASONO (e) aut ipsi JAC. DELILLE (f), quorum conamina quanto fint

a) Hoc Epigrammate:

*Orpheo mirata est Rhodope sua fata canentem,
Si modo Virgili carmina pondus habent.
Tu vero, Juno, silvestria rura canendo
Post te ipsas urbes in tua rura trahis.
O Superi, quales habuit tum Roma Quirites,
Quum tam facundum viderit agricolam!*

b) Historia Rei Herbariae T. I. p. 149.

c) Hortorum Libri IV, Paris. 1665, 4:o.

d) Præmium rusticum Libris XIV, Paris. 1707, 12:o.

e) The English Garden, Lond. 1772—1781, 4:o.

f) Les Jardins ou l'Art d'embellir les paysages, Paris 1782, 4:o, 8:o, 16:o. Ejusdem Auctoris est L'homme des champs ou les Géographiques Françaises, Strasb. & Paris 1800, 4:o, 8:o, & 12:o.

sint Virgilianis frigidiora, haud fore obscurum existimat (g). At vero utcumque de principatu MARONI decernendo omnes facile consentiant, non defunt tamen in Vossiana illa censura talia, de quibus posit etiam in alteram partem haud improbabiliter disputari.

Videtur omnino Voss assentientem sibi habere etiam maiorem PLINIUM, qui Vitium & Vini naturam culturamque docere aggressus, significatoque se non deterritum iri quarundam rerum humilitate, hæc addit: *quamquam videmus VIRGILIJM, præcellentissimum vatem, ea de causa hortorum dotes fuisse, e tantisque, quæ retulit, flores modo rerum decerpisse, beatum felicemque gratiæ quindecim omnino generibus uarum nominatis, tribus oleæ, totidem pirorum, malo vero tantum Asyrio, ceteris omnibus neglectis* (h): sed reapse minus tamen, quam videtur, convenienti. Licebat solute scribenti PLINIO, immo & oportebat eundem, per singulas etiam minutissimas propositi sui partes ire: non licebat idem Poëtæ, ne didactico quidem. Tentabat & hic, idque feliciter sane, tenues res verbis vincere, & addere angustis honorem (i), sed excidisset conatu, &, quod pejus est, migrasset Carminis leges, si idem in omnibus efficere tentasset: quod quam perspexerit ipse bene, versus docent II:di Libri 42, 44, & 103 atque hunc proxime insequens,

Non

g) Des P. VIRGILIUS MARO Landbau, 4 Gefänge, übersetzt und erklärt von J. H. Voss, Eutin und Hamb. 1789 p. 252, 258.

h) Hist. Nat. L. XIV. c. I. cfr. L. XIX. c. 19. f. 3. Ne adderet PLINIUS, brevius a VIRGILIO (Moret. v. 61 — 90) describi etiam SIMULI hortum, id obstissee videtur, quod non posset non ipse perspicere, haud esse hoc propter rerum humilitatem factum,

i) VIRGIL. Georg. L. III. v. 289 sq. cfr. L. IV. v. 6 sq.

*Non ego cuncta meis amplecti verbis opto:
— — — ades, Et primi lege littoris oram!
Sed neque quam multæ species, nec nomina quæ sint,
Est numerus, neque enim numero comprehendere refert.*

Multa igitur is & sciens & scienter omisit, neque id in hor-
tensi re sola, sed & in agricultione, in pecuaria re, in mirabili
apum artificio: nec tamen urgeri ullo modo debet, licere in
prima illa, præter viginti fere arborum florumque genera ab
ipso memorata, nihil. Hinc neque id persvaderi nobis pati-
mur (quod quippe a candida VIRGILII anima alienissimum ju-
dicamus), voluisse ipsum, proposito fallace quodam temerarii
laboris invitamento, deviorum illecebris irretire imprudentes,
aut ad spem talium audendorum insidiose sollicitare, quæ ipse
a nemine audenda esse sensisset; & quamquam habent omni-
no res ad humiliora illa communis vitæ negotia pertinentes
haud magnam cum auguſtiore Poëſeos specie cognationem,
non carent tamen eadem aut colore quodam poëticō aut le-
niore faltem quadam capiendi delectandique vi, utraque toties
conſpicua & quantum fatis valida futura, quoties non adſcrip-
tio rem ornare fuco, sed ipsam rei poëticam faciem detegere
& videndam præbere aliis valuerit sublimius vatis ingenium(k).

Neque

k) Eh quoi! cet art charmant (du jardinage), le plus doux & le plus vertueux de tous; cet art, que j'ai appellé ailleurs le luxe de l'agriculture, que les poëtes eux-mêmes ont peint comme le premier plaisir du premier homme; ce doux & brillant emploi des richesses des saisons & de la fécondité de la terre, qui charme la solitude vertueuse, qui amuse la vieillesse détrompée, qui présente la campagne & les beautés agrestes avec des couleurs plus brillantes, des combinaisons plus heureuses, & change en tableaux enchanteurs les scènes de la nature sauvage & négligée, seroit sans intérêt! MILTON, le TASSE, HOMÈRE ne pensoient pas ainsi, lorsque dans leurs poëmes immortels ils épisoient sur ce sujet les tré-

Neque horum omnium ignarus fuit COLUMELLA ipse, sed cum perspiceret multa argumenti sui membra tam esse exigua, ut ex incomprehensibili illa quasi arenæ parvitate funis effici non posset (*l*), haud pauca, quæ nitescere posse desperabat, sciens præteriit, copiosius alibi aut jam exposita aut deinceps exponenda (*m*).

GARGILIUM MARTIALEM quo pacto poëtis iis, qui in explendo continuandoque VIRGILIO fuere occupati, annumerare potuerit Voss, non potest non mirum videri. Nam et si ad Georgicorum Mantuanii L. IV. v. 148 hæc SERVIUS adscripsit verba (inepta satis): GARGILIUM MARTIALEM significat, narraturque hic a CASSIODORO (*n*), de hortis scripsisse pulcherrime, & nutrimenta olerum & virtutes eorum diligenter exposuisse, appellat tamen Scylacius ille hoc ejus opus non carmen, sed commentarium, quemadmodum nec metri quidquam præ se ferunt aut illa ipsius de hortis loca, quorum

B

haud

sors de leur imagination. * * * * * VIRGILE, dans ses Géorgiques, a fait d'un vieillard, qui cultive au bord du Galèse le plus modeste des jardins, un épisode charmant, qui ne manque jamais son effet sur les bons esprits & les ames sensibles aux véritables beautés de l'art & de la nature. DELILLE, l'Homme des champs, Paris 1804, Préface p. 12 sq. Neque sane verendum non est, ne, si poëtis omne demferis hortensium canendorum jus, totum quoque sustuleris Didactici Carminis genus. Non assurgit illud, nec assurgere aut curat aut debet ad augustioris poësos majestatem: at locus est & pluribus umbris, & erit illi quoque non parvæ rei honos. Superat stella stellam magnitudine, sed luce tamen quæque fulget sua nec extingvenda,

l) L. X. Præf. f. 4.

m) Pag. 4 not. *n)*

n) L. c.

haud parvum numerum suis de re rustica libris inferuit PALADIUS, aut superstes de cura boum fragmentum, ut taceamus Historiam ejusdem GARGILII, jam diu desperitam, fuisse non versibus sed prosa, & ne diserte quidem (o), scriptam, Quid vero VIRGILIO dignum aut præstisile aut non præstisile judicandi sint RAPIN (p), VANIERE, MASON & DELILLE, de eo nihil jam attinet quærere, nec, si constiterit haud esse Hortorum culturam poëticæ tractationi aptam, quæsivisse premium erit unquam. In COLUMELLA solo nosmet morabimur.

Est autem oeconomia carminis ab ipso profecti hujusmodi. Post breve exordium, idque totum fere Virgilianis verbis (q) expressum, incipit poëta mox v. 6 de commoda horti sede eligenda præcipere; deinceps a v. 27 de eodem muniendo atque custodiendo. Jam ad propositum accedens propius, Musas invocat v. 35—40, harumque auxilio confusus de hortensis soli agit ad dapsilem proventum præparandi ratione v. 41—93, hisque subnebit v. 94—102 florum, v. 103—109 medicarum & v. 110—139 culinæ inservientium herbarum pangendarum spargendarumve præcepta. Tum cu-

ram

(o) FLAVIUS VOPISCUS. in Probo c. 2.

(p) Profitetur hic ipse se VIRGILII imitatore, his versibus ::
*Vatibus ignotam nam me novus incitat: ardor
 Ire viam, magno quæ primum ostensa Maroni,
 Extremo cum vela trahens sub fine laborum,
 Italiæ pingues hortos quæ cura colendii
 Ornaret, canere agricolis populoque parabat.
 Fas mihi divini tantum vestigia vatis:
 Posse sequi, summoque volans dum tendit Olympo,
 Sublimem aspicere. Et longe observare tuendo.*

(q) Georg. L. I. v. 1, 12. L. III. v. 1, 440. L. IV. v. 1, 147 sq.

ram tradit terræ post seminationem peractam impendendam v. 140—154; jamque ad ea, quæ singulis anni temporibus agenda sunt, delabitur. Proponit igitur primo v. 155—310 veris (a cuius v. 194 sqq. in magnificentiorem speciem excurrente descriptione revocat ipse femet v. 215—229) negotia atque curas, earumque amoenitatibus ut & Nymphæ omnium generum in loco fruantur, invitatione non longa minus quam blanda (v. 263—310) optat rogatque. Transit porro v. 311—399 ad æstivi solstitii labores, & hos inter maxime eos qui in avertendis & depellendis tempestatum, infectorum ac vermium damnis occupantur; deinde v. 400—411 ad ea quæ caniculæ tempore agenda jubentur; tum v. 412—422 ad autumni opera; monetque v. 423—432 vindemiarum tempore claudendos esse hortos. Concludit tandem quatuor hisce a VIRGILIO (Georg. L. II. v. 1, 175 sq.) maximam partem mutuatis versibus:

*Hactenus hortorum cultus, Silvine, docebam,
Siderei vatis referens præcepta Maronis,
Qui primus veteres ausus recludere fontes,
Ascræum cecinit Romana per oppida carmen.*

Notavimus in hac universi carminis adumbratione de industria illa loca, in quibus vel primo intuitu manifesta cernitur VIRGILII imitatio, sed apta ea utrobique, & in tali quidem occasione laudanda potius quam improbanda. In ceteris haud adeo multa illi debentur exemplari, quam multa deberi falso persuaserat sibi SCHOETTGENIUS (r): quod ex iis facile agnoscas nequaquam admodum crebris reminiscentiis (vocabulo utimur Germanis adamato), quas semper aliquo saltem modo

r) Ad versum Columellæ 80:mum, cui hæc fere adscripsit verba:
VIRGILIUM noster perpetuo fere imitatur.

modo variatas (s) suo Noster inservire jusstis proposito. Sunt vero nonnulla etiam, in quibus is cum MARONE haud infeliciter contendere videatur, ut in illis (v. 155 sqq. 194—214) de verno terrae in fecundas cum maritali coeli imbre nuptias celebrandas æstu (coll. cum VIRGIL. Georg. L. II. v. 324—335. L. III. v. 242—244); sunt plura, in quibus proprio nitat ingenio, ut in his (t).

*Vicini quoque sint amnes, quos incola durus
Attrahat auxilio semper fitientibus hortis;
Aut fons illacrimet putei non sede profunda,
Ne gravis hausturis tendentibus ilia vellat.*

*Ergo age nunc cultus & tempora quæque serendix
Seminibus, quæ cura satis, quo sidere primum
Nascantur flores, Pæstique rosaria gemment,
Quo Bacchi genus, aut aliena stirpe gravata
Mitis adoptatis curvetur frugibus arbos,
Pierides tenui deducite carmine Musæ!*

*Tum jusfi veniant declivi tramite rivii (u)
Terra bibat fontes, & hiantia compleat ora.*

s) Patet hoc ex versibus 12 (coll. cum VIRGILI Georg. I. 378.) 16 (Georg. I. 55. Aen. IV. 444. XII. 543), 22 (Ecl. V. 39), 37 (Georg. IV. 119), 52 & 289. (Georg. I. 222.), 91 (Georg. I. 46), 121 (Georg. IV. 102), 28 (Georg. II. 490), 222 (Aen. II. 255), 228 (Ecl. I. 57), 256 (Ecl. IX. 40), 291 (Ecl. V. 44), 310 (Ecl. I. 36 Moret. v. 81), 314 (Georg. I. 212), 330 (Georg. I. 325), 342 (Georg. I. 150 sq.), 348 (Georg. III. 550), 352 sq. (Georg. I. 193 sq.), 430 (Georg. I. 347. II. 4).

t) Vers. 22—26, 35—40, 48 sq. 55—57, 94—97, 101 sq. 104 sq. 124 sq. 166—168, 174—177, 255—264, 268—293.

u) In hoc versu sonus quoque ille, quem imitativum vocant, satis bene effictus videtur.

— — — tuto needium confisus olympos,
Sed trepidus profugit chelas & spicula Phœbus
Dira Nepæ, tergoque Croti festinat equino (v).

Verum ubi jam puro discrimine pectita tellus,
Deposito squalore nitens sua semina poscit,
Pangite tunc varios, terrestria sidera, flores,
Candida leucoja, & flaventia lumina calthæ,

Tum quæ pallet humili, quæ frondens purpurat auro,
Ponatur viola, & nimium rosa plena pudoris,

Glaucea, & profugos vindictura papavera somnos
Spargite, quæque viros acidunt armantque puellis;

Ponitur & lactis gußum quæ condiat herba,
Deletura quidem fronti data signa sugarum (x).

Nunc apio viridi crispetur florida tellus.

Nunc

v) Quis hic non recordatur notissimorum versuum :

Men Phœbus sade : af de djur,
som ödet kastat på min bana,
har Jupiter behagat dana
skorpionen till det bittraste. = e.
Utaf mitt ljus dess jyn ej mägtar skåda glansen ;
men kräket gör hoad det förmår,
och eiterväldt för vagnen går,
i hopp att ge mig banesår
med sin beställsamhet i svansen.

Djurkretsen ; Saga af SILFVERSTOLPE.

x) Lepidium sativum L.

*Nunc capit is porri longo resoluta capillo
Lætetur, mollemque sinum staphylinus in umbret &c.*

*Et male dammati moesto qui sangvine surgunt,
Æacii flores, immortalesque amaranti,
Et quos mille parit dives natura cibores,
Disponat plantis olitor, quos semine sevit.*

*Quin & odoratis messis jam floribus instat :
Jam ver purpureum, jam versicoloribus anni
Fetibus alma parens cingi sua tempora gaudet;
Jam Phrygiæ loti (y) gemmantia lumina promunt
Et conniventes oculos violaria solvunt,
Oscitat & leo, & ingenuo confusa rubore
Virginea adaperta genas rosa præbet honores
Coelitibus, templisque Sabæum miscet odorem.
Nunc vos Pegasidum comites Acheloidas oro,
Mænolidumque choros Dryadum, nymphasque Napæas,*

*Et quæ Sicanii flores legistis Halefi,
Cum Cereris proles vestris intenta choreis
Æquoris Ennae vernantia lilia carpit,
Raptaque, lethæi conjux mox facta tyranni,
Sideribus tristes umbras, & tartara coelo
Præposuit, Ditemque Jovi, letumque saluti,
Et nunc inferno potitur Proserpina regno :
Vos quoque, jam posito luctu moestoque timore,
Huc facili gressu teneras advertite plantas,
Tellurisque comas sacris aptate canistris.*

Hic

y) Pro hac voce, *calthæ* legendum volunt PONTEDERA & SCHNEIDER;
recte, ut videtur.

Hic nullæ insidiae nymphis, non ulla rapina:
 Caſta Fides nobis colitur ſanctique Penates;
 Omnia plena jocis, ſecuro plena cachinno,
 Plena mero, lætisque vigeſt convivia pratis.
 Nunc ver egelidum, nunc eſt mollifimus annus,
 Dum Phoebus tener, ac tenera decumbere in herba
 Svadet, & arguto fugientes gramine fontes
 Nec rigidos potare juvat, nec ſole tepentes;
 Jamque Dionæis redimitur floribus hortus,
 Jam rosa mitescit Sarrano clarior oſtro;
 Nec tam nubifugo Borea Latonia Phoebe
 Purpureo radiat vultu, nec Sirius ardor
 Sic micat, aut rutilus Pyrois, aut ore coruſco
 Hesperus, Eoo remeat cum Lucifer ortu,
 Nec tam fidereo fulget Thaumantias arcu,
 Quam nitidis hilares collucent fetibus horti.

Produnt hæc omnia ingenium poëtarum quidem lectione nutritum, sed ex fe promens plurima, & illaboratae simplicitatis venustatisque haud anxie quæſitæ amans. Elucet hoc etiam, ſimulque rerum ſcīte & vere pīngendarum facultas, in egregia Cynaræ Scolymī deſcriptione v. 237—241, cui virtute fere ſimilis eſt Punicæ Granati (v. 242 ſq.); nec minus ea (v. 248), quam de Humalo lupulo intelligendam eſſe conjicit SPRENGEL (z). Commendabile pariter iudicamus variandæ in rebus ſimilibus dictionis ſtudium, ut cum v. 122 ſq. appellat Cepam lacrymosam, ſed Sinapin lacesentii fletum facturam, cum ioquitur v. 23 diductos pondere qualos, & v. 306 diſtenta contortii ſamina junci, cum inducit v. 188 Lactucam cypriam ut punicea depexam coma, ſed lacteam crure, & v. 254 Betam vulgarem ut folio viridem, pede candidam.

Justas.

z) L. c. p. 150.

Justas reprehendendi, nedum vituperandi causas raro in Nostro invenias. Homœoteleuton versuum 79 sq. *profundo, hirundo*, aut fortuito excidit non animadvertenti, aut si, ut nos quidem putamus (*a*), fortuitum non est, æque tamen parum displicuit atque Epiphora versuum 192 sq. Abesse potuisse etymologia Lepidii v. 126, quæ tamen & ad indicandum plantæ nomen valet, & Virgilianis exemplis se facile tuetur; debuisset etiam, in Betæ commemoratione v. 251—254, frigida illa allusio ad communem secundæ Græcorum litteræ appellationem, frigidiorque etiam comparatio hortulanæ plantam humo ferratæ cupidis iætu deprimentis cum magistro litteram in *cera* exarante. Immundior, ad sensum saltem nostrum, est versus 360 de femina juventæ justa primum patiente; sed magis etiam impudici SCHNEIDERΟ videntur v. 30—32 de hortorum tutela Priapo, in quibus male servatam opinatur Maroniani carminis dignitatem & castitatem (*b*), at multa tum decuisse dici, quæ nostris temporibus non deceret, vel ex ipsis intelligitur istius numinis per omnes hortos obviis simulacris. Quod porro ad v. 43 sq. observat idem, inepte & nauseose aut saltem parum decore *autumnum* appellari *saturum* & (*musto*) *sordidum*, id nimis morose esse dictum loca docent Virgiliana Georg. II. 5, 197, Ovidiana Metam. II. 29. Fast. IV. 897, Horatianus A. P. v. 277, & forte Tibullianus L. II. eleg. I. v. 55. Queritur etiam de duritia, partim appositionis, quæ tamen v. 53 tota perit, si *verticem mundi* cum GESNERO de vertigine & revolutione s. circum;

a) Cfr. Disf. Cl. JOH. MODIN (Præside J. F. WALLENIO) de Homœoteleutis Ligatae Orationis, Ab. 1807 p. m. 17 sq. Phosphorus, Månadskrift, 1811, p. 547 sqq.

b) Cfr. VIRGIL. Georg. L. IV. v. 110 sq. nec minus versum Nostri 108 & sq. atque HORAT. L. I. sat. 8 v. 1—7,

circumactu, quo vices efficiuntur annuae, intellexerimus; partim significationis (*arguto gramine* v. 284), quam vero ipse fatetur a VIRGILII *arguta ilice, arguto nemore* (Ecl. VII. 1. VIII. 22) parum discrepare; partim transitus (v. 67), sed quia ad v. 58, ut oportet, relatus vix quidquam duri habere judicabitur. Reprehendenti vero eidem versus Poëtae 58—67, ideo non parcendum esse telluri jubentibus, sed palis, marris, rastris, ligone, vomere instandum, quod falso putaretur illa esse hominum tum viventium mater, cum tamen genus istud mortalium, quod ex luto Prometheus finxerat, diluvio jam Deucalioneo periisset, & inequens stirps originem debuerit saxis a Deucalione & Pyrrha post terga jactis, nos eo libentius totos addicimus, quoniam & saxa illa antiquioris erant orbis reliquiæ, ipsaque terra haud raro lapidescere credebatur (c), & COLUMELLA ipse, quasi antea dictorum immemor, sui quoque ævi terram appellat v. 257 *almam parentem*. Quod denique perobscurum SPRENGELIO videtur Nostri Carmen, ultro concedimus, non esse idem intellectu ubique æque facile atque sunt illa loca quæ excitavimus; sed bis aut ter si perlegatur ab homine ipsarum rerum non ignaro, vix quidquam habebit, quod plenam remoretur intelligentiam.

Finivimus, non perfecimus, suscepimus opus: ne cum poëeos Columellianæ judice Germano, nescimus quo, nostra conferremus sensa, vetuit *Commentationis* ab illo scriptæ (d) apud nos defectus.

c) PRIN. Hist. Nat. L. XXXV. c. 47.

d) Infertam esse eam I:ma Parti Collectionis Duschianæ der Briefe zur Bildung des Geschmackes, indicat BLANKENBURG l. c. p. 184.